

tero. Quam diu etiam suo in Mercurio, hoc est, à sua minera non separatus, sed bene custoditus est, (omne siquidem metallum, quod adhuc in sua minera, illud est Mercurius) tunc sese multiplicare potest, modo si à Mercurio suo substantiam habere queat. Sin vero fixatum granum ablatum, & à suo Mercurio, qui ipsius est minera, separatum fuerit, tunc similis erit virescenti immaturo alicui fructui in arbore, qui, flore sublato, fructus formatur, & ex eo pomum fit. Sin autem immaturum illum fructum aliquis decerperet, tunc prima illius formatio corrumpetur: Homo siquidem nullam habet scientiam, ut videlicet substantiam, vel maturitatem largiatur, quemadmodum natura interior, dum fructus adhuc pender de arbore, & substantiam alimentationemque suam à natura habere potest. Quam diu igitur nunc maturitas expectatur, tam diu etiam fructus saporem liquoremque adtrahit, idque tam augmentando, quam alimentando, donec ad perfectam maturitatem perueniat.

Simili etiam modo cum auro comparatum est. Si enim à natura granum factum, & ad Mercurium suum redactum fuerit, tunc etiam ab eadem illa cottidie incessabilique modo, sustentatur, in perfectum suum Mercurium, quomodo in se ipso est, redigitur: expectandum dein est, donec à Mercurio suo substantiam aliquam sortiatur, nõ fecus ac ab arborum fructibus fieri solet. Quemadmodum enim Mercurius tam perfectorum, quam etiam imperfectorum, metallorum arbor est: ita quoque etiam illa nullam aliunde alimentationem habere possunt, quam à solo suo Mercurio. Si itaque fortassis à Mercurio fructus colligere volueris, qui splendens lucensque Sol, & Luna

Gg 2 est,

421.

The Chymie Vol 5
p. 301.